

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. JOAN. IV.

In illo tempore, erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus; incipiebat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Dixit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dixit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit, et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quod illa hora erat, in qua dixit ei Jesus, Filius tuus vivit. Et credit ipse, et domus ejus tota.

CONCIONES.

- I. Fructus tribulationis.
- II. Indicia atrocitatis poenarum infernalium.
- III. S. eucharistia necessaria morientibus.
- IV. Extrema unctio commendatur infirmis.
- V. Præscripta patris familias.
- VI. Quomodo principes terræ mirabiliter ad fidem adducti sint.
- VII. Prodigia et miracula in mundi conversione exhibita.

CONCIO I.

FRUCTUS TRIBULATIONIS.

I. Tribulatio purgat: 1. A sordibus jam contractis. 2. A poenis quæ peccatis debentur. 3. A sordibus peccatorum forte contrahendis. — II. Illuminat: 1. Videre facit ea quæ supra nos. 2. Ea quæ infra nos. 3. Ea quæ circa nos. 4. Ea quæ in nobis. — III. Perficit: 1. Disponit ad virtutes. 2. Promovet ad progressum in virtutibus. 3. Conservat in virtute et gratia.

THEMA.

Abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium ejus. Joan. IV.

Judicum, cap. XIV. proposuit Samson in convivio problema: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Quid sibi vult hoc ænigma? Occiderat Samson leonem in via sibi occurrentem, post modum regressus per eandem illam viam reperit in ore leonis favus mellis. Et

- VIII. Documenta.
- IX. Mystera.

CONCIONES AUCTARIL.

- I. Regulus pusillus in fide, spe et charitate.
- II. Regulus evangelicus non absimilis regulo aviculæ.
- III. Quia ratione Deus ubique præstans sit, et concipi a nobis queat.
- IV. Cur astrologi interdum vera prænuntiant.
- V. Amor impurus periculosa et pessima febris.

hæc est solutio ænigmatis: Mel ex ore leonis. Sed possumus nos mystico sensu, aliter solvere hoc ænigma et quidem ex hodierno evangelio. Nonne sævus quidam leo, mors aut lethalis morbus est? Cœperat hic filium reguli jamjam devorare: Incipiebat enim mori filius; et tamen ex hoc leone egressa est dulcedo; quia filii percussio, patris fuit conversio. Dum comedit leo filium, pater abit ad Christum, atque ita recipit filium, et cum filio salutem: Credit enim ipse domus ejus tota. O leonem bonum! O mel dulce! Si non intrasset leo domum hujus reguli, ipse non credidisset. Momordit ergo domum, et leo mel in eam expuit fidem et salutem. Sed non est solus regulus, cui hoc boni contigit. Quoties aliqua tribulatio, fames, pestis, morbus, mors, etc. in domos nostras intrat, leonem cernere videmur; sed si postea ad illum cogitatione nostra revertamur, videbimus quod mel in ore gerat, fructum videlicet incomparabilem, quem nunc contemplabimur.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

331

S. Dionysius, in lib. de cœlesti hierarchia, tria ponit opera hierarchica quibus tota Ecclesiæ perfectio continetur et absolvitur: Purgare, illuminare, perficere. Quæ omnia præstat in primis tribulatio, estque præclarissimum Dei instrumentum ad hæc peragenda.

I. Purgat: et primo, a sordibus jam contractis, quia facit hominem redire in se, et postea ad Deum. Itaque prodigus filius fame perurgente: In se reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor! Surgam igitur et ibo ad patrem meum, etc. Luc. XV. Ita Jonas a facie Domini fugiens, in ventre piscis demum in se rediit, et oravit, et oravit Dominum flebiliter inter alia: Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, etc. Jon. II. Ita, v. g. adolescens, qui diu in flagitiis vixit, cum incidit in morbum, vel conjicitur ob maleficia in carcerem, mox in se revertit, et vocare sacerdotem, confiteri sua peccata et spondere emendationem omnibus votis incipit, ob metum partim temporalis, partim æternæ mortis. Quod quidem nunquam fecisset, nisi in eam adversitatem devenisset. Hac ratione abbas Moyses timore mortis, quæ ei ob homicidii crimen intentabatur, impulsus ad monasterium cucurrit, Cassian. coll. III. c. V. Ita ad frugem conversus S. Ephrem, postquam in carcerem conjectus et poenis subjectus fuit, ut ipse de se scribit, et nos alibi diximus. Refert Augerius Busbequius Cæs. Ferdinandi I. legatus ad Turcam, epist. I. se cum in Asia proficisceretur ad imperatorem Turcarum, prope fluvium Halym, conspectum hominem rusticorum interrogasse, num is fluvius piscibus abundaret et quemadmodum caperentur? Respondebit ille, piscium esse satis, sed capi non posse, quod nimirum si qui manum injicere conetur, illi se proripiant, neque captantem expectent. Quo cum risu audito, quidam ex ejus sociis rete, quod secum habebat, ad piscationem expedit et multos pisces cepit, Turcis, qui aderant, Christianorum industriam summopere mirantibus. Certe Dominus Deus sæpe sæpius extendit manus suas liberalissimas ad capiendum hominum animas, sed illi piscium intar, fugiunt piscantem, nec capi se patiuntur. Ut bene dixit Habacuc, c. I. Facies homines quasi pisces maris. Quid igitur facit Deus? Expandit rete tribulationis super illos, veluti famem, pestem, bellum et similia, sicque vel nolentes includit et ad suum obsequium trahit. Testatur hoc Jeremias in persona Jerusalem, Threnor. I. cum ait: De excelso misit ignem in ossibus, (scilicet ad excoquendum et purgandum me) et erudit me: expandit rete pedibus meis, (Chaldaeos

scilicet quasi venatores) convertit me retrosum. Idem expertus fuit Jonas, qui cum fugeret Dei mandatum, cepit illum Deus in mari et ventri ceti inclusum reduxit, ad exequendum munus suum, in Niniven civitatem, Jon. I.

Secundo, a poenis quæ peccatis debentur, si non prorsus, at magna saltem ex parte. Quemadmodum enim purgat tribula triticum a palea: ita tribulatio animam a materia combustili, quæ sunt poenæ exsolvendæ in purgatorio. Hinc tribulatio dicta est a tribula, qua segetes tribulantur et tritulantur, ut grana a palea excutiantur: tribula vero a terendo, quia segetes terendo grana excutit. Si adhæserit tibi palea reatus alicujus, ureris in purgatorio: si ab ea hic purgeris, non erit quod ibi in te ardere possit, sed illico in horreum Dei colligeris ad cœli cives. Hinc Deus populum suum Israel, quem plagis emendare solebat, vocat: Trituram suam et filios areæ suæ, Isa. XXI. Tritura mea, et filii areæ meæ. Quare maximum beneficium est, tribulari hic a Deo. « Si aurum es, ait Augustinus, de tempore barbarico, c. III. tom. IX. quid times ignem? Si frumentum es, quid times tribulam? Non apparebis, qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo a te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram preli? Non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis a te separaverit amurcam. » Sic ille.

Tertio, a peccatorum sordibus forte contrahendis; quia exercet hominem, ne otio diffuat et voluptatibus se dedat: atterit etiam carnem ejus et compingit in caveam, bestiam illam ferocem concupiscentiam, ne nobis noceat et in varia scelera nos abripiat. Quemadmodum enim Romani, quamdiu a Carthaginiensibus, hostibus suis exercebantur et agitabantur, tam diu bellicosi et strenui fuere; postquam vero ex Catonis consilio, nequicquam reclamante Scipione, Carthaginem deleverunt, nimio otio et prosperitate dissolutiores facti; non tantum vitiis se inquinaverunt, sed intestinis etiam odiis et bellis semetipsos gravius vulnerarunt, quam prius ab hostibus vulnerarentur, August. lib. I. de civit. XXX. Ad hunc modum quamdiu nos Deus vexat excursionibus militum suorum, famis, belli, pestis, morbi, inopiæ, grandinis, etc. tamdiu nobis attendimus et a voluptatibus et vitiis abstinemus. Ubi vero cessat nos vexare, inde pejores fimus. Ipsa nostra concupiscentia, nisi coerceatur, quasi equus est indomitus, ducens nos ad interitum, juxta id Jerem. VIII. Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Quid igitur remedii: id quod Josue olim præcepit Deus, Jos. XI. Equos eorum subnervabis. Sub-

nervat igitur Deus hunc equum nostrum fame morbo, peste, etc. Tum incipit sistere vel claudicare equus, tum cessant comessiones, aleæ, choreæ, libido, etc. uti apparet cum forte pestis urbem aliquam corripuit. Quam omnia ibi sunt quietia? Nullæ choreæ, nulli elamores, nulla convivia, nulla pompa, nullæ fere lites, nullum aut exiguum avaritiæ studium. Unde hoc? Nisi quia mortis chorea, choreas alias sustulit, et virga Aaronis Dei alias majorum virgas devoravit? Quare sicut non doleres, si quis cadentem te in puteum pede apprehenderet, et eriperet, licet interim pedem, quo te extrahit, forte luxaret: ita beneficii loco reputandum est, si per temporales plagas eripiantur a lapsu illo profundo in puteum infernalem.

II. Illuminat. Id quod optime representatur felle illius piscis, quem ope et hortatu angeli cepit Tobias cui dicebat angelus: *Tolle tecum ex felle piscis, erit enim necessarium*, Tob. XI. Ergo felle illuminavit Tobias patris sui oculos, qui ex hirundinum stercore fuerant cæcati. Quid hirundinum stercore, nisi mundi blanditias, honores, opes, voluptates representant? His vero excæcatur homo, nec nisi per tribulationem seu earumdem rerum subtractionem illuminatur, veluti per contemptum, infamiam, paupertatem, famem, morbum, pestem, etc. uti primi parentes cum spoliati fuerunt justitia originali, tum primum cognoverunt se esse nudos. Unde Sanctus Gregorius dixit: *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit*. Sed quid videre facit? Primo ea, quæ supra nos, Deum et sanctos. Qui enim tempore prosperitatis Deum obliviscuntur et sanctos ejus, tempore tribulationis reminisci et ad eos recurrere solent, sero eruditi, quod in solo Deo et sanctorum patrocinio refugium inveniatur. Ita Hebræi rebus prosperis ad idola declinarunt: rebus vero tristibus ad Deum verum redierunt, ut videre est in libro Exodi et Judicum. Idem patet in hodierno regulo, qui ad Christum non venisset, nisi tribulatio ursisset. Ita etiam scribit Lactantius, in l. de orig. erroris, cap. I. de gentilibus: « Nunquam Dei meminerunt, inquit, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deseruit, et pericula recesserunt, tum vero alacres ad deorum templa recurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant; Deo autem quem in ipsa necessitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt. » Ita Julianus apostata, cum intuitu spectrorum, dum necromantiæ operam daret, iterato percelleretur, iterato ad crucem, Christianorum clypeum, fugit, eam fronti suæ imprimens: quod alioquin in æternum non fecisset, Gregorius Nazianzen. orat. in Julian. Ita

communiter homines alii: « Si qua necessitas gravis presserit (utor verbis Lactantii supra c.) tunc Deum recordantur si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grandio ingruerit, ad Deum confugiunt, a Deo petitur auxilium, Deus, ut subveniat, oratur. » Faceo, quod nunc agnoscitur Dei potentia, qui quantumvis robustos, potentes et magnos facillime premere et deprimere potest: Dei justitia, qui peccata tandem punit pro merito: Dei misericordia, qui etiam cum irascitur, misericordiæ recordatur: *Et dat nivem sicut lanam*, Psalmus CXLVII. hoc est, non simul totam dejicit, ut nos et nostra opprimat, sed per modum lanæ eam quasi carminat, ut sensim et suaviter ad nos defluat; quod idem cum tribulatione facit: non simul imponendo graviolem, sed suaviter et per vices.

Secundo, ea quæ infra nos, infernum et purgatorium. Cum enim dentium, capitis, oculorum aut renum doloribus cruciamur, dicimus aut cogitamus: Deus bone, quid erit purgatorii aut inferni pœna, si unius membri dolor brevi duraturus, inter tot remedia et solatia, adeo affligit? Quid erit absque omni solatio, et spe redemptionis cruciari in inferno, omnibus in membris, sensibus, potentiis?

Tertio, ea quæ sunt circa nos, mundum et quæ in eo sunt. Mundum quidem vix agnoscimus prosperis in rebus: quis amicus, quis inimicus sit, quis triticum, quis palea. Sed ubi hæc ventilabro tribulationis fuerint ventilata, ibi demum agnoscimus, quis amicus noster et Dei sit, quis non sit. Triticum persistit, palea vero avolat. Deinde, quæ in mundo sunt bona, parum valde agnoscimus; quia aut nimio ea æstimamus, aut per ingratitude non tanti æstimamus, quanti deberemus. Vel enim iis nimio amore adhæremus, quasi æterna forent, et nos facere beatos possent; et tunc ostendit tribulatio, quam ea sint caduca, quam infirma, quam vana, quam baculus arundineus. Quot enim qui ex summis honoribus, opibus, voluptatibus repente dejecti, ad infamiam, mendicitatem, et quandoque etiam atrociam supplicia tracti sunt? Vel nunquam cogitamus, unde bona habeamus, et Deo ingrati sumus; quare aufert ea tribulatio, et tunc oculos aperimus ac dicimus: O quantum bonum est sanitas! Quam pulchra parcimonia! Quam jucunda pax! Quam bene nobis fuit antequam expoliaremur, cum adhuc cellæ et horrea nostra plena essent!

Quarto, ea quæ in nobis sunt: infirmitatem, cæcitatem, inconstantiam, defectus et peccata

nostra. Quam multa enim cum Petro præsumptuose proponimus, quæ adversitate adventante obliviscimur Christum negantes? Quam cæci sumus in defectus nostros, quos nisi per tribulationis perspicilia non videmus? Fratres Josephi non prius agnoverunt peccatum suum in eum perpetratum, nisi postquam ab eodem licet ignoto angustiati et afflicti sunt. Tunc demum dicere cœperunt: *Merito hæc patimur, quia peccavimus, in fratrem nostrum minimum*, Gen. XLII. Similiter Antiochus ille impius lethali morbo percussus: *Nunc reminiscor malorum*, inquit, *quæ feci in Jerusalem*. *Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista*, I. Macch. VI. Ita filius prodigus fame afflictus in se rediit, dicens: *Pater, peccavi in cælum et coram te*, etc. Luc. XV. Denique, obtractores nostri sæpe ostendunt nobis peccata, quæ ipsi in nobis non agnoscimus. Sic teste B. Augustino, lib. IX. conf. capit. VIII. B. Monica ejus mater: *Cum a suis cœtaneis, adhuc parvula meribibula vocaretur, hoc convicio excitata illud vitium tota postea ætate correxit*. Eadem de causa Macedonum rex Philippus lætatur sibi infestus esse Athenienses, eo quod ex eorum criminationibus in suorum vitiorum notitiam veniret, et ut eos mendaces redderet, corripbat, Plut. I. de utilit. capiend. ab inimicis.

III. Perficit, quia ad finem, cujus gratia conditi sumus, nos perducit. Et primo, disponit ad omnes virtutes et gratiam ampliorem: unde apostolus ad Romanos V. ait: *Tribulatio patientiam operatur*. Hoc ipso vero quod hominem reddit patientem facit eum obedientem ad omnia. Sicut enim silvestres aves ejurantur cavea, equi indomiti fræno, canes loco: sic homo alias incompositus et indomitus, fit mitis, patiens, flexilis, Deoque obediens, tribulatione mediante. Videmus sæpe ægrotos, prius feroces tandem plane mitigari, et omnia patienter ferre; homines item iracundos, homicidas, raptos, latrones in carceribus edomari et si quando ad supplicium educuntur, ad pœnas sibi decretas per omnia se volentes et obediens exhibere. Patientia est velut terra fructifera, tribulatio velut aratrum. Quando ergo hæc illam arat, et exercet, tum patientia uberes fert fructus. Pulchre etiam B. Antiochus, hom. LXXVIII. ait: « Sicut cera nisi recalescat aut præmolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem; ita et homo nisi laborum et multivarie infirmitatis probetur exercitio, nequiquam sinet insigniri se signaculo divinæ gratiæ. » Sane: « Pauperem Lazarum provexit ad philosophiam paupertas, ad virtutum dolor, contemptus ad patientiam, inquit Pe-

trus Chrysol. serm. CXXIV. Quis ita subegit hunc mendicem, ut ab omnibus desertus famem et ulcera sua tam patienter ferret, neminique malediceret etiam avaro diviti, tandemque angelorum manibus ad cælum afferretur? Paupertas utique et tribulatio. Notissima nobis avicula est emberiza flava, quæ per æstatem quidem in silvis et campis moratur, ubi spreta quasi hominum amicitia canit: Nobilis ego sum (sicut vulgo cantum ejus interpretamur) ubi etiam capi non facile se patitur; ab ubi hiems venerit, et nive omnia cooperta sunt, tum ad ædes nostras et plena horrea advolat, nec jam nobilitatem suam canit, sed accisa et humili voce in amicitiam nostram se insinuat, quasi dicat: Amice. Ad hæc tam cicur efficitur, ut prope accedentes non fugiat magnopere. » Quis hanc autem, quæso, adeo edomuit, ut sua quasi exulta natura et cantilena, aliam indueret, nisi hiems adversitatis? Hæc quotidie fere ante oculos nostros cernimus, et interim non expendimus, quod hunc ipsum ludum ludat nobiscum Deus. Quam multi tales nobiles, qui prosperitatis tempore resident in suis arcibus et dominiis; fastu et tumore pleni, jactantes suam nobilitatem et divitias! At ubi eos apprehendit hiems adversitatis, ibi ad inferiores etiam se dimittunt et appellant amicos, quos prius non agnoverant. Quam multi cicurantur egestate, qui in divitiis positi fuere duri et feroces!

Secundo, promovet et impellit ad progrediendum in virtutibus, et ad amorem Dei, dum ea, quæ in mundo sunt bona, aut interdicit, aut amara facit. Unde Sanctus Gregorius, lib. XXIII. moral. capit. XV. « Viatorum gressus, inquit, tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ presentis requie, quasi amœnitate vitæ pascitur, magis ad eum diu pergere, quam citius delectet. » Nemo se diu definet in itinere, quod latronibus est obsessum, aut desertum. Ubi amœnitas, ubi multa hospitia, ubi omnia vili pretio offeruntur, ibi detinent se viatores. Sed quid sunt mundi deliciæ, nisi stereora? Et diversoria, nisi stabula? Itaque Deus per tribulationem docet nos amare meliorem: *Ne viator tendens ad patriam stabulo pro domo diligat*, inquit S. Augustinus, in sent. CLXXXI.

Tertio, conservat et confirmat in virtute et amore Dei, veluti pondera columnam. Solis æstus facile detrahit pallium viatori, sed non item frigidus aquilo; imo eo flante magis aptat corpori viator, seque eo involvit. Ita prosperitas sæpe spoliat hominem gratia et charitate Dei,

dum ei janua aperit ad solatia externa et temporalia : adversitas vero hominem, quasi includit, ut non possit etiamsi velit, effundere se ad temporalia commoda et voluptates.

Denique, hæc ipsa cœli clavis est, qua porta cœlestis reseratur, ut testantur apostoli, Actor. XIV. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hac clave Christus ipsemet ad suam gloriam aditum sibi patefecit : *Oportuit Christum pati, et intrare in gloriam suam,* inquit ipse, Luc. XXIV. Errant igitur, qui quos affligit et variis tribulationibus exerceri vident, peiores existimant aliis hominibus. Hunc enim errorem corrigit in Judæis Christus, Luc. XIII. cum ait : *Illi decem et octo supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos; putatis, quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non dico vobis; sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.* Incolæ Melitenses improbum et homicidam judicabant esse Paulum apostolum, quod viderent viperam in vasisse eum, et pendere ex ejus manu, Act. XXVIII. similiter amici Job, detrahebant ejus innocentiam, quod viderent eum tam multis plagis tactum : sed errant hi et illi. Rectius sensissent si Dei filios judicassent, quos a patre sic castigari viderant. Quare potius : *Omne gaudium existimate, fratres,* ait Jacobus, *cum in tentationes varias incideritis, etc.*

CONCIO II.

INDICIA ATROCITATIS POENARUM INFERNALIU.

I. Indicat Christus. — II. Indicant beati. — III. Indicant sancti hujus vitæ. — IV. Indicant reorum supplicia. — V. Indicant ethnici. — VI. Indicant ipsi inferi.

THEMA.

Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.
Joan. IV.

Refert Giraldus Cambrensis, in sua topographia, apparuisse repente insulam in mari, quod Hiberniam undequaque alluit; cumque ad eam juvenes quidam navigio contenderent, et exscendere in eam vellent, insulam refugientem alio se transtulisse. Quod cum sæpius fieret instructi a sene juvenes, præstigias subesse, ignem porro valere contra ejusmodi phantasmata. Edocti hoc modo juvenes igneam sagittam ejaculati sunt in insulam, quo facto repente constitit et inhabitari cœpit, quæ ex hoc eventu *insula fugitiva*, dicta est. Quid aliud est cor hominis, nisi *insula fugitiva* in hoc turbulento mundi mari? Quoties servi Dei quærunt insulam istam

et sibi et Deo sedem stabilem facere? Verum instabile est cor hominis et fluctuans cogitationibus refugit ab iis qui ejus salutem quærunt. Quid igitur remedii? Inspirat Deus suis, ut igneas sagittas, plenas comminationibus æternæ damnationis janciant in homines : sic fore ut dent manus seque inhabitandos præbeant. Sane in hodierno evangelio postquam Deus ligneam quasi sagittam æstuantis febris misit in domum reguli, et vulneravit ejus filium, venit ille ad Christum, procidit ante eum, et credidit cum domo sua. Quod sane nunquam fecisset, adeoque suam domum Christo inhabitandam nunquam præbuisset, nisi febris illa filium occupasset. Propterea ei dixit Dominus : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Quod quidem omnibus nobis dicitur.

Audivimus ante octiduum multa horribilia de pœnis inferorum. Sed vereor, ne multorum corda fluctuant adhuc et fugiant, quia fortasse jacula illa ignea non fuerunt, dum signis et prodigiis instructa non fuerunt. Addamus ergo signa, quæ inducant animum ad facilius credenda ea, quæ ibi diximus.

I. Interrogemus Christum : Quod signum nobis ostendis, Domine, pœnarum inferarum? Respondet nobis Luca XXIII. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Vult dicere : Si ergo Dei Filius ob alienam culpam, totus innocens talia et tanta perferre ex decreto divinæ justitiæ debuit : quæ pœna manebit reprobos, qui lignum aridum, inutile et igni debitum sunt, ob peccata propria? Cogita Christi supplicia, contumelias, dolores externos, internos : cogita vel solam crucem, et quæ in ea tormenta pertulit, clavorum fixuram, crucis erectionem et quassationem, nuditatem, defatigationem, sitim, membrorum adstrictionem, conspectum matris, contumelias et blasphemias, mortem denique violentissimam. Et si hujusmodi crux parata esset inferis, non tibi videretur pœna hæc sufficiens, imo intoleranda? Sed nihil istud est ; quia : *Si in viridi hæc fecerunt, in arido quid fiet?* Nec adduci possum, ut credam, non fore atrociores pœnas illorum, qui suismet sceleribus Deum irritarunt, quam illius qui ex mera charitate aliena in se suscepit, ut Deum nobis placaret.

II. Interrogemus beatos : quod nobis signum datis? Respondebunt juxta *id* Luc. VI. Mensuram bonam, confertam et coagitatam accepimus in sinum nostrum. Itaque credendum, talem etiam in contrario fore mensuram inferorum, hoc est, longe majorem, quam sit mensura pœnarum præsentis vitæ. Tametsi enim sancti præmiantur ultra condignum, damnati plectuntur citra con-

dignum, ex sententia theologorum, magnam tamen inter utrosque servandam proportionem ratio persuadet : quia quam illi bene, tam isti male vixerunt. Quod si David improbis imprecatus est, Psalm. LXXVIII. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum,* continget hoc sane illis, saltem in inferno. Et quemadmodum de beatis, Psalm. XXXV. dixit idem sanctus : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ,* qui videlicet beatis vitam et gaudia summa jugiter instillet : ita de inferno propheta Isaias, cap. XXXII. *Præparata est ab heri tophet* (Chald. *gehenna*) : *nutrimenta ejus ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Ergo quod est torrens voluptatis superis, hoc est torrens sulphuris inferis ; quod est beatis Jerusalem cœlestis, hoc est damnatis tophet. Tophet enim locus erat in valle Ennon, non procul a Jerusaleme, ubi parentes filios suos crudelissime immolabant et cremabant idolo Moloch. Si hoc fecere parentes liberis suis, a quibus nihil offensi erant : mirabimur, si hoc et gravius quid faciat Deus mancipiis suis, a quibus toties et tam atrociter offensus fuit?

III. Interrogemus sanctos, dum in mundo vixerunt : quod signum ostenditis nobis? Respondebit inter alios Sanctus Hieronymus, epist. XXII. ad Eustochium : *Ille ego, qui ob gehennam metum, tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum : asperrimam intellige, in qua vixit, solitudinem.* Idem respondebunt alii sancti, qui ut effugerent gehennam, in seipsos sævierunt, carnem suam cum concupiscentiis crucifixerunt, seipsos in ergastula et vastissimos eremos incluserunt. Quod si non horrendum foret incendium gehennæ, tanta forsitan illi non egissent et tulissent. Audi ergo Jeremiam contra impiam Idumæam detonantem, capit. XLIX. *Hæc dicit Dominus, inquit, ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent; et tu quasi innocens, relinqueris? Non eris innocens sed bibens bibes.* Vult dicere : Pii et innoxii non effugerunt captivitatem, et tu impia Idumæa non bibes eundem calicem? Omnino bibes, et ad faciem usque exhauries calicem iræ Dei. Cogita calicem martyrii et pœnitentiæ, quem hiberunt sancti. Si eum tam amarum propinavit Deus amicis suis, qualem in inferno propinabit hostibus? Cogita morborum varia genera, quæ sæpe cum uno et justo homine diutissime conflictantur. Franciscus Borgias soc. Jesu, cum febre æstualet : *Hinc, ait, Francisce, quantæ sint inferorum flammæ.* Refert Cornelius a Lap. in Isai. c. XXXII.

IV. Interrogemus illos, qui ob sua scelera plexi sunt ab hominibus, et plectuntur adhuc in dies.

Respondet illorum loco S. Chrysostomus, hom. XLIX. apud pop. Antioch. *Nonne videmus terrenos milites principibus servientes, quomodo criminosos trahunt, quomodo ligant, quomodo radunt costas quomodo faces tormentis adhibent? Sed hæc omnia, ludrica et risus ad illa supplicia. Nam et temporaneæ sunt hæc pœnæ : illic vero nec vermis moritur, nec ignis extinguitur.* Videamus pauca exempla. David capta civitate Rabbath, cives ejus adducens servavit et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris (II. Reg. XII.) ita ut dissecarentur et contererentur, I. Par. XX. Gedeon contrivit viros Soccoth cum spinis deserti et tribulis, Jud. VIII. sed præ omnibus miserabile et inauditum supplicium fuit Andronici Comneni imp. orientis, qui cum Alexium imp. adhuc puerum strangulasset, ut ipse imperio potiretur, miserandum in modum punitus est, quemadmodum scribit Nicetas Choniates, lib. II. his verbis : « Duabus gravibus catenis ferreis collo injectis, et compedibus oneratus ad Isaacium perductus, contumeliosis verbis exceptus est, alapæ ei impactæ, nares pulsatæ, barba vulsa, dentes excussi, capilli evulsi, deinde publice omnium ludibriis expositus, etiam a mulieribus pugnis cæsus est, ac præcisa dextera in carcerem coniectus, sine cibo, sine potu, sine ullo cujusquam officio. Post aliquot dies altero oculo offosso, scabioso camelo impositus per forum triumphi specie traductus est, calva glabra instar aridæ quercus et ovo nudiore ac brevi tunica tectus : quem petulantissima plebs et circumforanea sordida turba, nulla ratione habita, quod is nudius tertius imperator, regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus esset, quodque sanctissimo jurejurando fidem suam et benevolentiam erga illum testati essent, efferatis animis in eum ruentes, nihil mali prætermiserunt, quo non eum afficerent. Alii clavas in caput impeggerunt, alii stercore nares fœdarunt, alii spongas excrementis hominum et pecudum conspurcatis in faciem expresserunt, alii veribus latera pupugerunt. Impudentiores quidam lapidibus coniectis, rabidum canem appellarunt. Scortum quoddam ollam ferventi aqua plenam, e culina raptam, in faciem effudit. Nemo denique erat, quin male ei faceret. Ac demum ita ignominiose in theatrum perductus, ac misero illo camelo detractum juxta duas columellas, quibus superne lapis incumbebat, pedibus suspenderunt fune alligatis. Qui tot mala perpessus, et alia sexcenta, tamen generoso animo ea perferens, nihil aliud dicebat nisi : Domine miserere ; et ad populum : Quid calamum contritum infringitis? Sed demertissima turba